

DISPUTATIONUM ETHICARUM  
TERTIA



DE VIRTUTE MORALI  
IN GENERE

(3)

X1860632

*è libra. 2. ἠθικῶν Νικομαχείων excerpta.*

Quam

JEHOVAH PRÆSIDE

*In illustri Lipsiensi Academia*

Sub moderamine

M. ANDREÆ BAUER  
CIZENSIS

*ventilandam proponit*

PHILIPPUS NEIDLINGER  
Freistadiensis Silesius.

*Ad d. 19. Aprilis horis & loco solitis.*



LIPSIÆ

Excusa à Laurentio Cobero.

Anno M. DC. XVI.







V I R I S  
M A G N I F I C I S , S T E N U I S E T  
N O B I L I B V S

Dn. CHRISTOPHORO à Dier In Streitels-  
dorff &c. Equiti Silesio : Regiæ curiæ Ducatus Glo-  
govienfis Adfessori primario :

Dn: PHILIPPO ab Burohe / In Ober vnd Nie-  
der Gorb / Herbsdorff / vnd Schertendorff &c. Equi-  
ti Silesio : Regiæ curiæ Ducatus Saganenfis Adfessori  
primario ,

NEC NON

V I R O

AMPLISSIMO atq; CONSULTISSIMO

Dn: CASPARI Zonen in Bonendorff / I.V. Do-  
ctori apud Freistadienses clarissimo :

UT ET

V I R O

REVERENDO ac DOCTISSIMO

Dn: PETRO LICHTERFELD Diacono a-  
pud Freistadienses vigilantissimo

*Dominis Fautoribus ac Promotoribus suis magnis  
perpetuo observantiæ cultu profe-  
quendis*

Hanc *συστήσιον* Ethicam in *gratæ mentis μνήμα*  
*debitæ observantiæ ἀποτίμημα*  
*studiorum suorum τὰ δεινὰ*

*offert & consecrat*

Philippus Neidlinger, L.L. Stud.







## PRÆLOQUIUM.



**ONTEMPLATA** es **MENS GENEROSA**, splendorem summi boni: *Speculata* es ejusdem excellentiam: Sensisti ejus suavitatem & dulcedinem; amore eam habendi exarsisti: *Nunc adspice, & suspice*: exere atq; exerce virtutem, viam unicam eamq; compendiosissimam ad Beatitudinem. Sic re poteris amatâ. *Vt autem hoc praestes, tuum est, à primis statim annis, mentem tuam terra non desigere, sed conditori tuote applicare & annectere: aliàs te perennis torquet miseriam.* Audi ergò Philosophum, Sapientiæ præceptorem, qui veram & genuinam virtutis faciem vivis quasi coloribus delineat: nec tantum dic faciendâ, sed potius fac dicendâ: hoc pacto ad pristinam TE rursus, si non integram, tamen aliquam, reduxeris Eudamoniam.

### THESIS I.

**ARISTOTELEUM** itaq; ordinem sequuti dicemus *γενικώς* de Virtutis Moralis causa Efficiente, Definitione, & Speciebus: *ειδικώς* verò de singulis in sequentibus *συνειρημένως* disquisitionibus tractaturi.

II. Vt verò causa Efficiens virtutis Moralis facilius & felicius investigetur, sciendum est: Virtutem Ethicam non esse *τῆ φύσει* naturâ hominibus ingeneratam. Quod hoc de virtute intellectuali verum *τῆ φύσει* fit, exinde constat, quòd licet ingenij bonitas & aliæ naturæ facultates ad eam comparandam multum conferant: tamen nisi præceptorum cognitio, exercitatio, & experientia accederet, non posset omninò acquiri.

*Nulla virtus nobis inest à natura.*

III. Quæ autem virtus Moralis à natura homini non insit, confirmat Philosophus 4. argumentis: 1. Nullum naturale potest adsuefactione mutari: Etsi enim millies lapidem sursum jeceris, nunquam tamen





effeceris, ut sursum ferri per se adsuescat, & deorsum ferri desuescat, quoniam descendere est ipsi naturale, sicut igni adscendere. Atqui mores & morum habitus possunt mutari: nisi enim mutari possent, incassum laboraretur, de præceptis morum congerendis: & cernimus multos homines mores suos sola conversatione & consuetudine aliorum ita abjecisse, ut quodammodo alijà seipsis effecti videantur. 2. quæ naturâ nobis insunt, eorum potentia & instrumenta antè nobis concessa sunt, quàm eorundem ἐνεργείας functions edimus. Nam prius facultas & instrumentum videndi nobis à naturâ datum est, quàm actu videmus, quod infantes testantur, qui & in utero & recens nati nihil vident: sed in virtute morali secus se res habet, siquidem ex actionibus præcedentibus habitus virtutis in mentibus nostris progignitur: Sicut enim crebrò canendo Musicus, ita iusta agendo justus redditur. 3. quæcunq; natura nobis dedit, de ijs consequendis ineptum est leges ferre. Nihil enim, quod habetur, expetitur: appetitio namq; est à privatione: Scaliger. Exer. 307. s. 27. At boni legislatores nihil magis in votis & optatis habent, quàm ut legibus suis cives & viros bonos, seu virtute præditos efficiant. 4. quæ naturâ sunt insita, eodem semper se modo habent, nec per eadem generari & corrumpi queunt, quandoquidem idem semper se modo habens, eundem semper effectum habet: quia enim Sol semper est lucidus, semper quoq; lumen in inferioribus creat: At virtus moralis per eadem generatur & corrumpitur. Nam ex frequentibus actionibus bonis producitur habitus virtutis, & frequentibus actionibus vitiosis corrumpitur virtus, ejusq; in locum succedit vitium.

*Virtus non  
inest præter  
naturam.*

**I V.** *Etsi verò virtutes non insint à naturâ; Ipsæ tamen non sunt πρὸ φύσιν præter naturam; imò maximè sunt naturæ consentaneæ: in nobis quippe reperitur aptitudo & habilis ad virtutem suscipiendam: seu igniculi & semina, quæ diligenti studio sunt excitanda, amplificanda & perficienda. Εκ τῶν γὰρ ὁμοίων ἐνεργειῶν αἰετῆς γίνονται* Exactionibus similibus habitus comparantur.

*πρόσματα*

1.

**V.** Ex quibus duo πρόσματα de comparando habitu virtutis eliciuntur: **PRIMUM:** *Honestatis & virtutis studioso videndum est, quid agat, & cuiusmodi actiones suscipiat.* Nam actionum differentias, differentes & dispares sequuntur habitus. **ALTERUM** est: *Ætas puerilis virtutibus est informanda: Vt enim in semente posita spes messis est: Ita totius vitæ reliquæ expectatio ab educatione pueritiæ dependet.*

2.

**VI. Con-**



VI. Constat quoque à Morali disciplina non alienum esse actionum humanarum κατὰ τὴν ὀρθὸν λόγον instituendarum rationem tradere, cum finis hujus πραγμάτων non sit διαίρεσις, sed πράξις: imò actiones iteratae sunt κύριαι DOMINAE ac principales causae, à quibus habitus morales fluunt. *Causa Efficiens virtutis.*

VII. Vbi generale hoc παράγγελμα est tenendum: Actiones, virtutis moralis effectrices, τῇ μεσότητι aurea mediocritate constare oportere: Si enim vel defectum vel excessum habeant, tantum abest, ut virtutes producant, ut eas potius productas aboleant. Sicuti nimio labore corporis vires franguntur, exiguo extinguuntur, moderato conservantur. *Actiones, virtutis procreatrices, debent constare mediocritate.*

VIII. At verò actiones istae nudae & simplici constant mediocritate, cum subsequentes constantiam habeant conjunctam,

IX. Vt autem praecedentes & subsequentes virtutis habitum actiones inter se discernantur, à VOLUPTATE ET DOLORE, individuis actionum comitibus, discrimen est petendum. Nam quae actiones non ab habitu fluunt, molestiam & difficultatem habent adjunctam, ut in tyronibus videre licet: quae verò ab habitu procedunt, jucundè & cum voluptate progrediuntur.

X. Nec facilius est actiones discernendi ratio: Sunt enim voluptas & dolor generale objectum, in quo virtutes morales versantur, atque ideò ex illis de illarum bonitate & perfectione judicandum.

XI. Nec hoc Aristotelis effatum: *Voluptatem & dolorem esse generale virtutum objectum*: suis caret rationibus: 1. quia voluptatum illecebris ad turpes actiones incitamus, & doloris aculeis ab honestis rebus deterrermur. 2. Voluptas & dolor sunt omnium affectuum & actionum comites. 3. dolor à vitiosis actionibus nos avocat, non secus ac voluptas ad honestas actiones nos invitatur. 4. Voluptatis persecutione & fugâ doloris, laudabiles & vitiosi morum habitus in nobis gignuntur: *Laudabiles* quidem, si voluptatem confectemur, & dolorem fugiamus, observatis certis circumstantiis, ceu honesti formulis, quae à ratione definiuntur: *Vitiosi* verò, si non ejusmodi observentur circumstantiae. 5. Voluptas & dolor è numero sunt expetendorum. 1. quia omnia animantia connatum habent appetitum. 2. singulis rebus, quae appetuntur, sive honestae, sive utiles, sive jucundae eae sint, voluptas quaedam inest & delectatio. 3. Voluptas ita cum singulis

*Voluptas & dolor sunt generale virtutum objectum.*

1.

2.

3.

4.

5.



6. membris ἐκ νηπίου adolescit, ut difficile sit ἀποτελεισθαι ab stergerē il-  
 7. lam. 6. quia voluptate & dolore nostras actiones κανονίζομεν quasi regu-  
 lā quadam dirigimus. 7. quia cū virtus & ars semper in difficilio-  
 ribus versetur, & circa voluptatem & dolorem rectē se gerere est  
 difficilimum, ita ut Heraclitus pronunciare non dubitaverit, dif-  
 ficilius esse voluptati resistere, quā iræ, affectuum alioqui vehe-  
 mentissimo.

*Differunt :  
 Opus gram-  
 maticum  
 &  
 Opus gram-  
 maticū con-  
 fectum.*

XII. Sed dicat quis, quī actionibus honestis comparari dica-  
 tur virtus, cū nemo quicquam honestum gerere possit, nisi virtu-  
 te præditus: sicuti nemo artificiosum opus moliri potest, nisi artis  
 habitu sit instructus: Sed nulla vis infertur veritati, si temperamen-  
 tum distinctionis adhibeatur: aliud enim opus grammaticum, aliud  
 est opus γραμματικῶς confectum: Illud fieri potest ἀπὸ τύχης casu for-  
 tuito, aut etiam alio suggerente: Hoc autem non nisi ex artis Gram-  
 maticæ habitu: Deindē quæ ab artibus fiunt opera, τὸ εἶναι omnem per-  
 fectionem artis in se inclusam habent: at actiones ab habitu virtutis  
 manantes, non habent in se inclusam omnem perfectionem, sed eam  
 ab autore actionis hauriunt.

*Note, se-  
 cundum  
 quas actio-  
 nes virtu-  
 tum esti-  
 mantur.*

XIII. In actionibus itaque à virtutis habitu profectis κερήεις  
 hæc copulativè requiruntur. 1. ut agens εἰδὼς sit sciens. 2. sit προαιρέμα-  
 vos agat de industria consilij & quidem honesti tantum gratia. 3. agat βεβαίως καὶ  
 ἀμετακινήτως firma constantiq; animi voluntate.

XIV. Vnde multorum error reprehenditur, qui tantum stu-  
 dent cognoscere doctrinam de virtutibus, & putant se bonos viros  
 evasuros, vitā autem & moribus à doctrina quā longissimè discre-  
 pant.

*I I.  
 Definitio.*

XV. Atq; sic fuit virtutis causa: Sequitur, ut τὸ τί ἦν εἶναι seu definitio-  
 nem investigemus, & explicemus. Vbi primò omnium ὁμωνυμῶν vocabu-  
 li virtutis est tollenda. Nihil enim magis intellectum errorum traxis involvit,  
 quā omissa ambiguum distinctio.

*ὁμωνυμία.  
 Piccol. gr.  
 4. c. 2.  
 1. 8. hist. an.  
 c. 1.*

XVI. Virtus nonnunquam usurpatur pro ea, quæ κατ' ἐξοχὴν virtus  
 est, & sic Deus dicitur justus, sapiens, omniq; virtutum perfecti-  
 one eminentissimè præditus: nonnunquam pro umbra ac tenui ejus imagine,  
 & sic, ut Philosophus ait, in jumentis & feris inveniuntur virtutes  
 morales, quia in ijs insunt vestigia morum hominis: sic Leones di-  
 cuntur fortes: formicæ & apes, prudentes: nonnunquam deniq; pro forma  
 sive habitu.



XVII. Quod tertium virtutis genus ad hominem contractum, est triplex: 1. vel enim infunditur à DEO, & dicitur Theologica virtus: 2. vel convenit nobis per naturam & est aut corporis, ut: Sanitas, pulchritudo &c: aut animi, quæ primum latè sumitur pro singuli animæ facultatibus, quarum nonnullæ sunt nobis communes cum cæteris viventibus, ut virtus nutriendi: alia cum animalibus, ut: virtus sentier di: alia nobis propriæ, ut Ratio, Mens & Voluntas: Deinde magis propriè naturalis animi virtus ea dicitur, quæ est congruens animi per naturam dispositio, qua virtute nonnulli valere dicuntur ingenio, alij memoriâ, nonnulli phantasiâ, & sic de cæteris. Hujus generis sunt illæ virtutes, de quibus Philosophus agit. l. 6. Eth. c. 13. 3. Vel denique nostro studio, cura & labore acquiritur: & est iterum duplex: alia intellectualis, alia Moralis: quæ vocabuli acceptio nostri est instituti.

XVIII. Cùm autem virtus sit Qualitas animi, & hæc sit vel *πάθος* affectus, hoc est facultas appetendi motus seu concitationes: vel *δύναμις* facultas seu propensio ad affectus & perturbationes: vel denique *ἕξις* habitus, quo pars animæ appetens certo modo conformatur: Vnum ex his tribus virtus ipsa sit necesse est.

XIX. Sed virtus non est affectus: 1. quia ab his neque boni neque mali dicimur: à virtute & vitio morali dicimur boni & mali. 2. propter affectus nemo laudatur aut vituperatur: propter virtutes laudamur, propter vitia vituperamur: 3. affectus sunt *ἀρεταί* *ἀποαιρέσεις* sine consilio & electione: Virtutum actiones prævia deliberatione instituuntur. 4. affectus sunt *κινήσεις* commotiones facultatis appetentis sensuum: Virtutes sunt *διαθέσεις*, quibus quodammodo conformamur.

XX. Nec virtus est FACULTAS: 1. ab hac enim nec boni nec mali dicimur. 2. nec laudamur aut vituperamur: à virtute verò possessores boni nuncupamur, & laudum encomijs celebramur. 3. facultas à natura homini competit: Natura quippe aptitudinem largitur cùm ad virtutes, tum ad vitia: Virtus autem sola adfuetudine nobis obtingit.

XXI. Relinquitur ergò, ut sit HABITUS, & quidem BONUS, Subjectum animum sc. perficiens: Deinde in MEDIOCRITATE POSITUS: Vbi notetur, duplex esse medium: vel *τὸ πρᾶγμα* REI, utrinq; æqualiter distans à suis extremis secundum proportionem Arithmeticam: vel

VIRTUS est.

1. non affectus

2. Non facultas.

Sed  
3. Habitus & quidem bonus.

ἕξις



Duplex  
Medium.  
1. REI.  
2. PER-  
SONAE.  
Virtus est  
medium per  
sona.

ἠρετὴς ἡμῶν seu PERSONÆ, quod uni extremo propius, ab altero remo-  
tius est secundum proportionem Geometricam. Prius perpetuò u-  
num idemq; est, ut sunt. 6. inter 4. & 8. hocq; medium est punctum  
in circulo: Posterius applicatum est cuius personæ pro varietate & con-  
ditione personarum, loci, temporis & cæterorum, quæ affectioni-  
bus solent adungi. Tale medium seu mediocritas est virtus: quia non æqua-  
liter à suis extremitatibus abest, sed cum uno majorem quàm cum  
altero convenientiam habet; insuper etiam se circumstantijs aptat.  
Quia verò in singulis actionibus magna est circumstantiarum &  
copia & varietas, virtus moralis sine prudentia perfecta esse nequit: Hæc e-  
nim sola seu VIR prudens ex diuturna experientia actionumq; va-  
riarum usu, quid cuiuslibet personæ, loco, tempori & reliquis adjuu-  
ctis sit dandum, intelligit.

Laus &  
perfectio  
virtutis con-  
sistit in me-  
dio persona.

1.

2.

3.

XXII. In ejusmodi itaq; mediocritate, quæ ad Nos refertur, confi-  
stit virtutis laus & perfectio: 1. quia in ipsis artibus earumq; operi-  
bus hoc studiosè caveri videmus, ne in alterutrum extremorum de-  
clinent, sed medium, quoad ejus fieri potest, attingant: quod tantò  
magis in virtute requirendum, quantò artem ejusq; opera dignita-  
te superat. Sic in arte pictoria hoc opus bonum & perfectum dicitur,  
in quo lineamenta nec plura nec pauciora reperiuntur, quàm esse  
debent. 2. in sola mediocritate actionum consistit encomium: in ex-  
cessu & defectu vituperium. 3. Sicut in qualibet re unum saltem est  
medium: Ita uno saltem modo ex virtute rectè agere valemus, mul-  
tifariamq; in una actione edenda delinquere & delirare. Quam ob  
causam rari boni viri celeberrimi, & plurimi mali inveniuntur: quippe perdiffici-  
le est, punctum meta tangere: perquam autem facile, circumferentiam ejusdem  
sagittis devastare.

Virtus quid

XXIII. Ex dictis hæc virtutis definitio elicitor: ἡ ἀρετὴ ἐστὶν ἕξις  
προαιρετικὴ ἐν μεσότητι ὄνσα τῇ ἠρετῇ ἡμῶν, ὡρισμένη λόγῳ, καὶ ὡς ἀν φρονιμος ὀρίσσει.  
Virtus est habitus consilio susceptus in mediocritate quoad nos positus, ratione defini-  
tâ, prout vir prudens eam definiret.

Virtus dici  
potest &  
μεσότης &  
ἀρετὴς.

XXIV. At non ideò virtus ex Pythagoreorum sententia dici  
non poterit ἀρετὴς, quòd μεσότης dicatur: Siquidem virtus bifariam  
consideratur: vel κατ' οὐσίαν, quatenus perturbationes temperat:  
vel κατὰ ποιότητα, vid. secundum perfectionem suam, quatenus in-  
ter reliqua bona, excepta felicitate, summum & principem occu-  
pat locum: Priori ratione dicitur mediocritas: Posteriori verò  
extre-



extremitas. Nec absurdum censetur, uni plura opponi diverso respectu. Atque sic definita fuit VIRTUS: Subit nunc ejusdem expositio, qua ex mediocritatis cognitione facile intelligitur.

XXV. Et primo sciendum est, non quosvis affectus & actiones mediocritatis esse capaces, ut pejerare, injuriam facere, aliaque similes actiones, quae nullo modo medium admittunt: 1. quia per se & sua natura sunt vitiosae. 2. semper in illis peccatur. 3. Si in istis daretur mediocritas, tum istius mediocritatis alia quaerenda essent extrema: Non enim potest esse mediocritas sine extremis, & vice versa: Et sic istorum extremorum rursus alia essent quaerenda extrema, adeoque progressus fieret in infinitum.

Non omnes affectus & actiones sunt capaces mediocritatis.

XXVI. Deinde ut mediocritatis natura manifestior evadat, singularum virtutum σκιαγραφίαν cum Philosopho subjungemus, additis praeter extrema, objectis & actionibus, hoc ordine:

σκιαγραφία virtutum.

XXVII. 1. FORTITUDO ἀνδρεία, cujus ut & reliquarum virtutum, duo sunt extrema: Excessus dicitur δραστήτης audacia seu temeritas, cui cognata est ἀφοβία metus vacuitas: defectus, δειλία, timiditas & ignavia: Objectum sunt φόβος καὶ φοβερά metus & terribilia, quae incutiunt metum: cui opponuntur τὸ θαρσύνει καὶ θαρσύνεα confidentia & ea, quae fiduciam efficiunt: Actiones, pericula & labores cum ratione adire, sustinere & perferre.

1. Fortitudo.

XXVIII. 2. TEMPERANTIA, σωφροσύνη, cujus extremum in excessu est ἀκολασία intemperantia: in defectu est quidem ἀνώνυμος, quod pauci reperiuntur ab omni voluptate prorsus alieni: sed tamen dici potest ἀναίδνησία immanitas in aspernandis voluptatibus: Objectum, sunt ἡδονὴ καὶ λύπη voluptas & dolor corporis, ad sensum tangendi & gustandi pertinentes. Actiones, Voluptates eas moderatè appetere, iisque ut decet, frui.

2. Temperantia.

XXIX. 3. LIBERALITAS ἐλευθεριότης cujus extremum in defectu est ἀνελευθερία illiberalitas, avaritia: in excessu est ἀσωτία effusio vel prodigalitas: Objectum, τὰ μέτρια χεῖματα mediocres pecuniae, quaeque iis aestimari solent. Actiones, rectè se gerere in pecunijs dandis & accipiendis.

3. Liberalitas

XXX. 4. MAGNIFICENTIA μεγαλοπρέπεια, cujus extremum in defectu est μικροπρέπεια in sumtu faciendo indecora parsimonia: in excessu est ἀπειροκαλία καὶ βαναυσία decori imperitia & operaria in sumtu faciendo insolentia: Objectum; magnae opes ac facultates: Actiones: magnos

4. Magnificencia.

B

magnos



magnos sumptus in rebus magnis & tali sumptu dignis, decorè facere.

5. *Magnanimitas.* XXXI. 5. MAGNANIMITAS μεγαλοψυχία seu animi magnitudo : cuius *extremum in defectu est μικροψυχία pusillanimitas: in excessu, χαυνότης fastus & insolentia. Objectum, sunt honores magni. Actiones, moderatè honores magnos expetere.*

6. *Moderata honoris cupiditas.* XXXII. 6. Virtus est ἀνώνυμος, sed per extrema exprimitur : & Latinis dicitur moderata honoris cupiditas : cuius *extremum in defectu est ἀφιλοτιμία honoris appetitio : Objectum, sunt honores modici. Actiones, parvos honores nobis debitos, eo modo expetere, quo oportet.*

7. *Mansuetudo.* XXXIII. 7. MANSVETUDO, πραΰτης : cuius *extremum in defectu est ἀοργυσία lentitudo & segnities : in excessu est ὀργιλότης iracundia. Objectum est ὀργή Ira : ACTIONES, iram rectæ rationis freno cohercere.*

8. *Veritas.* XXXIV. 8. VERITAS ἀλήθεια : cuius *extremum in defectu est εἰρωσία dissimulatio : in excessu est ἀλαζωνεία simulatio. Objectum τὰ ἀληθῆς, verum : cui opponitur falsum & mendacium. Actiones, in dictis & factis verum sequi.*

9. *Urbanitas.* XXXV. 9. VRBANITAS εὐτραπιλία : cuius *extremum in defectu est ἀγροικία rusticitas, infulsitas : in excessu est, βωμολοχία scurrilitas : Objectum est τὸ ἠδὺ ἐν παιδείᾳ, iucundum in jocis. Actiones, honestè ac modestè ludere ac joculari.*

10. *Comitas.* XXXVI. 10. COMITAS, HUMANITAS vel affabilitas : φίλια ἢ φιλανθρωπία : Qui *modum deserit, dicitur δυσσερὴς καὶ δύσκολος contumiosus seu pugnax, morosus ac difficilis : qui modum superat, idque nullius lucri gratia facit ἀρεσκος blandus : qui autem spe lucri, κβλαξ assentator, dicitur. Objectum, ardua negotia. ACTIONES, in rebus arduis cum alijs iucundè versari.*

11. *Iustitia.* XXXVII. 11. IUSTITIA δικαιοσύνη, cuius *extremum tūm in defectu, tūm in excessu dicitur ἀδικία injustitia, quæ in utrisque extremis peccat : cum nimirum uni plus, alteri verò minus quàm ei debetur, tribuitur. Objectum sunt quævis bona vel mala cum alijs communicanda. ACTIONES, commutare & distribuere.*

*Affectus.* XXXVIII. His virtutibus affines sunt quidam AFFECTUS, quòd & habeant mediocritatem laudabilem, & utrinq; extrema sint vitiosa : sed virtutes non sunt, quod non sint constantes habitus, sed subitanei



itanēi quidam motus ἀνευ προαιρέσεως, citra nostram voluntatem aut electionem excitati.

XXXIX. I. VERECUNDIA αἰδώς, *cujus extremum in defectu est ἀναίχουσία impudentia, omnium virtutum expultrix: in excessu, κατὰ πλεξίς animi percussio, seu pudor subrusticus, & dicitur aliàs δυσωπία.*

XL. 2. INDIGNATIO seu STOMACHATIO νέμσις: *cujus extremum in excessu est φθόνος invidia, quæ oritur ex quorumvis promiscuè hominum rebus prosperis: in defectu est ἐπιχειρικακία malevolentia, quæ adeò remota est à sensu doloris, ut etiam quorumvis hominum rebus adversis lætetur.*

XLI. Ex hoc virtutum Catalogo & cum extremis collatione sequentia eliciuntur σοιχῆα: PRIMUM: Virtus suis extremis ratione exuperantia opponitur, quæ excessu exceditur: defectum verò ipsa excedit. Nec simpliciter virtus contrariatur extremis, siquidem cum utroque uno quidem majorem, altero verò minorem habet cognationem. Hinc Cicero monet: Cernenda diligenter esse, ne fallant nos ea vitia, quæ virtutem videntur imitari. Nam prudentiam malitia, & liberalitatem effusio, & fortitudinem audacia imitatur, & patientiam durities immanis, & justiciam acerbitas, & religionem superstitio, & levitatem molles animi, & verecundiam timiditas.

XLII. SECUNDUM: Duo ἀνευ extrema vitia vehementius inter se pugnare, quàm cum mediocritate: siquidem longius à se, quam virtute sunt disjuncta: Et major inter ipsa est dissimilitudo, quàm inter medium & extrema. Quia verò virtus similitudinem quandam cum extremis obtinet: extrema verò ipsa nullo similitudinis nexu ligantur, major dicitur esse pugna inter duo extrema, quàm inter medium & extrema.

XLIII. TERTIUM: Extrema non equali modo virtuti adversantur. Nam unum magis, alterum minus eidem opponitur, nonnunquam excessus, nonnunquam defectus: partim propter ipsarum rerum disparem similitudinem: partim propter depravatam nostram naturam, in unam magis quàm in alteram extremorum propensam. Sic fortitudini magis contrariatur timiditas, quæ est defectus, quàm audacia, quæ est excessus.

XLIV. Hinc admodum difficile est, mediocritatem τὴν ὁρὴν ἰμαῖς, veluti circuli centrum, in actionibus & perturbationibus attingere:

1. Verecundia

2. Indignatio

3. Antistasis  
sive oppositio  
1.  
Medij & extre-  
morum.

2.  
Extremorum  
inter se.

3.  
Extremorum  
cum medio.

Difficile est  
medium at-  
tingere.



gere : 1. quia variæ sunt ac multiplices peccandi rationes : unica tantum rectè agendi. 2. circumstantiarum tanta diversitas, ut difficile sit singulas observare.

XLV. Nec tamen quis animum abijciat, nec difficultatibus cedat : sed contra audentior eat : cum præstò sint Remedia seu salutaria præcepta, quibus difficultas ejusmodi superari possit.

Præcepta  
virtutem  
attingendi.

1.

XLVI. PRIMUM : Δεῖ τὸν σοχῆ ζῶμενον τῆ μέσου, ἄνωτον μὲν ἀποχωρεῖν τῆ μάλλον ἐναντίου : Oportet eum, qui vult medium assequi ab illo extremo, quod virtuti magis est contrarium, quam longissimè recedere. Sic Nympha Calypso Vlyssi duas periculosissimas rupes Scyllam & Charybdin in mari Siculo præternavigatum suavit, ut navim magis ad scyllam, ceu scopulum minus periculosum deflecteret, magis contra à charybdi abduceret, velut loco perniciosiori : Atque hoc præceptum nunquam ex animo effluat, ne dum ab uno extremorum nimium recedimus, in alterum incurramus.

2.

XLVII. SECUNDUM : Δεῖ σκοπεῖν πρὸς ἃ καὶ αὐτοὶ εὐκατάφοροι, ἔσμεν καὶ εἰς τοὺναντίον ἀφέλκει, πρὸ γὰρ ἀπαγάγοντες τῆ ἀμαρτάνειν, εἰς τὸ μέσον ἤξομεν. Oportet nos attendere, ad quæ vitia sumus naturâ proclives, & ab his nos in contrariam partem retrahere : Sic qui sentit se propensum esse ad avaritiam, debet ad prodigalitem contendere, & paulatim incipiet fieri liberalis : non secus ac ligna distorta & curva rectitudinem induunt, si in contrariam flectuntur partem.

3.

XLVIII. TERTIUM : Ἐν παντὶ μάλιστα φυλακτέον τὸ ἡδὺ, καὶ τὴν ἡδονὴν : Videndum est & sedulo videndū, ne actiones omnes voluptate metiamur, ut ejus saltem causa eas placeat suscipere. Etenim adeò voluptas naturæ nostræ infedit, nec infedit tantum, sed & depravavit, ut eâ in consilium vocatâ non nisi perperam de rebus agendis possimus judicium ferre. Hinc seniores Trojanorum Regi Priamo id consilij dederunt, ut voluptate sepositâ Helenam potius Græcis remitteret, quam propter ipsam universum regnum pessundaret, inq; præsentissimum præcipitaret excidium.

XLIX. Non est tamen desperandum ei, qui adhibitâ curâ, non potest mediocritatem attingere, si modò ab ea quàm proximè absit : Nam ὁ μικρὸν τοῦ εὐπαρεμβάινωρ, οὐ φέγεται : qui parum ab eo, quod rectum est, recedit, sive versus excessum, sive versus defectum, non vituperatur, sed qui plus declinat. Atq; hæc ex lib. 2. Eth. breviter dicta sufficiant.

PRO-



## PROBLEMAT A.

### 1. An in homine virtus reperiatur.

Nonnulli hoc negare conantur, nixi his rationibus: 1. quia virtus est res divina: est purissima: ideoque non nisi domicilio inhabitet immaculato. At humanus animus peccati vitio est contaminatus, prout ex codice sacro constat. 2. Ipsi Ethnici quoque omnia esse vitiorum plena agnoverunt. Sic Ovidius ait: Victa jacet pietas, & virgo cæde madentes ultima Cœlestum terras Astræa reliquit. l. I. Metam. 3. Virtutem ab homine exulare, cujusvis testatur Natura, quoniam ad vitium prona est.

Sed prænosendum est. 1. Hominem posse considerari vel *Theologicè*, quoad Creatorem refertur: vel *Philosophicè*: Si *Philosophicè*, rursus perpendi potest, vel qua est species, vel qua individuum. 2. Virtutem quoque aliam esse *Theologicam*; aliam *Philosophicam* seu *Humanam*, quæ humanæ felicitatis effectrix est: *Philosophicam* iterum aut esse totum genus cum suis speciebus, aut tantum unam atque alteram virtutis speciem. 3. Hominem quoad virtutes & vitia dupliciter considerari, vel quoad ortum, vel quoad adsuefactionem ipsius. 4. Non illicò quod rarum est, planè non esse, cum quò quid excellentius, eò fit rarius: Iccircò dicimus: In homine *Philosophicè* considerato, si sumitur ut species, reperitur virtus humana universa: Si ut individuum accipitur, reperitur in ipso una atque altera virtutis species. Respondetur ad. 1. Sacer codex docet, in homine *Theologicè* accepto nil virtutis *Theologicæ* reperiri, utpote qui eam petulanter à suo conditore se avertens amisit, nec humana industria, sed Spiritu Sancto in hac vita, nec nisi imperfectè recuperatur: interim tamen non negat hominem *Philosophicè* seu naturaliter sumptum per naturam habilem progigni & ad vitia & ad virtutes humanas, hasque sedula diligentia proprio Marte eundem posse acquirere. Ad. 2. Ethnici aut naturalem corruptionem hominis ignoravère, ideoque dixerunt hominem naturam neque bonum neque malum esse, sed neutrum οὐδέτερον: aut si naturam corruptam sciverunt, hoc non ex se, sed Majorum traditione acceperunt: Sicuti alia multa, quæ ex verà religione hauserunt. Hoc autem ipsos experientia docuit, posse hominem non tantum virtutis, sed etiam & quidem præcipuè vitij habitu imbui: ideoque in eas prorupère





voces: Malorum omnia plena: semper in pejora ruimus: videruntque Rem rarissimam esse virtutem. Ad. 3. Licet hominis natura semper ad vitium pronior sit, quam ad virtutem, prona tamen quoque est ad virtutem, quæ promptitudo & proclivitas diligenti exercitio perficitur. Quapropter natura tantum ad vitium ut & virtutem habilitatem largitur, non habitum, qui demum ætatis progressu multis actionibus contrahitur.

2, *An homo τῆ φύσει ad virtutes, an verò ad vitia sit propensior?*

Pro inclinatione ad virtutes præstò sunt hæ rationes: 1. quia homo ad DEI, tanquam summi essentialis Boni, imaginem factus est: adeoque ad bonum proclivior, quam ad malum. 2. Omnia per internam naturæ commotionem, sui perfectionem, & id, quod sibi bonum est, expetunt: At virtus hominis est perfectio eique bona. E. per naturam illam expetit. 3. Ut hominis propensio se habet ad scientiam, ita quoque ad virtutem moralem: quemadmodum enim illa mentis, ita hæc facultatis appetentis est perfectio & absolutio. At hominis natura ad scientiam est inclinata lib. 1. Metaph. c. 1. Ergò ad virtutes eodem modo sese habet. Sed contrarium non modo experientia, cui potius quam rationi, præsertim in civilibus, fidem habere tenetur, sed & sacræ literæ testantur. Hinc rari quippe boni viri, vix totidem sunt numero, quot Thebarum portæ, aut divitis ostia Nili. Respondetur ad argumentum 1. ex Theologia: homo quidem ad DEI imaginem est factus, sed eam per lapsum amisit, adeò ut vel prorsus nihil, vel paucæ ac minutæ scintillæ in ipso remanserint. Vnde ejus ad malum propensio. In 2. Major vera est de commotione integræ & illæsæ, non corruptæ ac depravatæ naturæ. Homo q. bonum quærit, sed adulterinum & fucatum, quo deceptus in sui ipsius incedit imperfectionem & miseriam. Tantum itaque abest, ut homo sibi relictus à natura verè bonum, veramque sui perfectionem expetat, ut non nisi malum quærat. Ad. 3. Sicut in hominis mente magna est ignorantia & inscitia: ita etiam in facultate appetente ingens contumacia & perversio Theologicè loquendo. Deindè dissimilitudo inest argumento: scientiæ n. desiderium

nob



nōn ita turbidis & violentis perturbationibus obruitur, sicut illud, quod est virtutis. Licet enim quis probus esse expetat, & improbus nemo velit esse: operatio tamen illa sensuum refractatio appetitui labefactatur, enervatur, infirmatur.

3. *An voluntas, aut Mens, an verò appetitus sensuum, sint virtutum moralium subjectum?*

Si in ullo problemate Ethico sententiarum diversarum est fluctuatio, certè illa in hoc, magno rationis conatu, exsurgit. Nonnulli voluntatem: quidam mentem: quidam denique appetitus sensuum introducunt. Sed quia ex collatione contrariarum sententiarum veritas magis elucescit, placet quæ ab alijs, præsertim Piccolomineo, prolixè de hac quæstione disputata sunt, breviter contrahere, & hoc loco subiicere. Pro VOLUNTATE ET MENTE hæc militant rationes: 1. Omnis habitus est vel intellectus vel voluntatis: Sed virtus moralis non est habitus intellectus: utique voluntatis 2. quia virtus per Voluntatem, tanquam in qua inhæreat, definitur: est enim habitus inclinans voluntatem ad agendum secundum rectam rationem: 3. ad quam partem animæ pertinet præelectio, ad eam quoque spectat virtus moralis: Est enim virtus *ἡ ἀρετὴ προαιρετικὴ*. At præelectio pertinet ad voluntatem: cum sit appetitus mentis. E. & virtus: 4. Idem subjectum est & honesti & virtutis. Honestum enim est objectum & finis virtutis. Jam honesti subjectum est mens: Sensus enim appetit rem, ut delectabilem, non ut honestam. lib. 3. de an. §. 29. utique & virtutis. 5. Quod est subjectum præmiorum virtutis, idem quoque est virtutis subjectum: Virtus enim est habitus laude dignus, ex quo prodeunt actiones, quæ nos reddunt honore & laude dignos: utique etiam virtutis. 6. ad quam animæ facultatem pertinet libertas & summum bonum, ad eam quoque pertinet virtus: Libertas enim necessaria est pro virtutis constitutione: summum bonum verò est ejus finis. Sed libertas & summum bonum non conveniunt appetitui sensuum: Nam libertas voluntatis propria est: Summum bonum consistit

Rationes pro  
Voluntate &  
mente.

1.

2.

3.

4.

5.

6.

in



7.

in actione hominis propria, quæ à facultate hominis propria, rationis particeps, proficiscitur. I. Eth. c. 7. 7. ad quam animæ partem referuntur semivirtutes, ut: Continentia, Tolerantia, ad eandem etiam spectant virtutes morales: sunt enim viæ ad virtutes: via autem & terminus sunt ejusdem facultatis: Atque semivirtutes sunt in mente: Non enim officium sensus est abstinere ab objecto, ad quod per naturam proclivis est: Sed rationis munus est, sensum corrigere, illumque à voluptatibus corporis avertere: Iudicat enim mens, voluntas finem optat, præelectio rectè nos dirigit in ordinatis medijs ad finem, quæ pro continentia & tolerantia sunt necessaria. His adjungi possunt rationes, quæ in specie pro justitia afferuntur, I. Justitia definitur ab IUSTIS, quod sit perpetua & constans voluntas suum cuique tribuendi: Et ab Aristotele, quod sit habitus, quo volumus, possumus, & agimus justa. In quibus definitionibus sola voluntas, non appetitus sensuum collocatur. 2. Virtus ad appetitum sensuum pertinens est moderatio alicujus perturbationis, ut inter duo extrema vitia: Hujusmodi non est justitia: Ergò nec ad appetitum sensuum pertinet. *Minor* patet; quia opponitur ei sola injustitia: sed reliquæ virtutes mediant inter nimium & parum perturbationes. Justitia autem servat medium Geometricum vel Arithmeticum, quod ad minus quatuor terminos exposcit, duas nempe personas, duasque res, in quarum congruente ratione IUS est positum. Qui alteram quæstionis partem tuentur, his utuntur rationibus: I. Materia & forma pertinent ad eandem animæ partem: Atqui Materia, scilicet perturbationes, sunt in appetitu sensuum E. in eodem quoque virtus. 2. ad quam animæ partem spectant supplicia & pœnæ, ad eandem quoque virtus & vitium: Nam alioquin, quando peccaret mens, puniretur sensus: quando recederet mens à scopo, coerceretur sensus, quod in conveniens admodum esse luce clarius patet. At supplicia & pœnæ pertinent ad appetitum sensuum: dolor enim qui oritur ex supplicio, est sensuum. Ergò virtutes & vitia. 3. in quo habitus producuntur, id est ejus subjectum: At in appetitu sensuum producuntur: Gignitur enim virtus more & adfuetudine: Mos autem versatur in compositione perturbationum ad appetitum sensuum pertinentium. Ergò est ejus subjectum. 4. ad quam animæ partem pertinet alteratio, ad eam quoque virtus. I. 7. *φυσ. ἀνε. §. 19.* Sed alteratio mentem non attingit, verum facultatem sen-

Pro justitia  
in specie.

1.

2.

Ratio-  
nes pro  
APPE-  
TITV  
SENSV-  
VM.

1.

2.

3.

4.



fentiendi & ejus appetitum. l. 7. φυσ. ἀρε. § 20. utiq; & virtus eò perti-  
 nebit. 6. propter cujus conformationem inest virtus moralis, id est e-  
 jus subiectum: At propter appetitus sensuum conformationem in-  
 est, Ergò hic est ejusdem subiectum. Minor probatur, quia per appe-  
 ritù reddimur proni ad illecebras, propterea domari, rectoq; habi-  
 tu conformari in nobis debet, ne quasi indomitus equus nos ducat &  
 præcipitet. Iisdem ferè rationibus in specie de Justicia quoq; osten-  
 di potest, eam in appetitu sensuum esse 1. cum sit virtus moralis. 2.  
 more & consuetudine comparetur. 3. voluntas habitum non exposcat  
 4. actio ejus ex appetitus sensuum affectione æstimetur. Quam sen-  
 tentiam etiam Aristoteles multis in locis confirmat l. 1. M. M. c. 5. 1.  
 Eth. Nic. c. 13. Et lib. 7. polit. c. 4. *Ad dubiorum remotionem prænotanda*  
*sunt duæ hypotheses: 1. Voluntatem revera nulla virtute morali, qua perficiatur,*  
*indigere, quia perpetuò, quod ratio judicat esse expetendum, id volun-*  
*tas expetit, atq; ita promptè sine mora & tergiversatione judicium*  
*rationis sequitur. Neq; hîc distinguendum est inter Voluntatem hujus probi &*  
*scelerati; quia etiam hujus voluntas id, quod ejusdem ratio judicavit*  
*esse bonum, necessariò expetit. Sed inter rationem querendum est discrimen.*  
 Probi namq; viri recta ratio est, & in rebus hominis arbitrio subje-  
 ctis & civilibus id, quod verè bonum dicitur esse expetendum, & id  
 voluntas quoq; statim expetit. At improbi ratio depravata est, nec  
 id, quod verè bonum est, sed quod videtur esse bonum, statuit eli-  
 gendum, idq; & voluntas illius eligit, & promptissimè postea appeti-  
 tus sensuum exequitur, à quo contra naturam lumen rationis ob-  
 scuratur & corrumpitur, qui tamen post perpetratum scelus semper  
 denuò sese exerit, & homini scelerato facinus exprobrat. Unde cru-  
 ciatus & furiae malæ conscientia oriuntur: At appetitus sensuum non  
 ut voluntas, semper judicium rationis sequitur, sed ut plurimum val-  
 dè se ei opponit, excitatus ijs, quæ sensibus jucunda & molesta sunt,  
 & frenum rationis excutit, & in homine imperium corripit, nisi lon-  
 ga consuetudine agendi ea, quæ rationi consentanea sunt, paulatim  
 dometur, & virtutibus morum penitus compescatur. I I. *Virtutem uni*  
*aut alteri facultati competere, dupliciter dici posse. 1. tanquam ducenti & dirigen-*  
*ti. 2. tanquam fundamento moderationis & subiecto habitus in medio collocati ac*  
*more acquisiti: Priori modo virtutes inventæ sunt, quæ ad mentem per-*  
 tinent: Menti enim, ratione sapientia, convenit judicare verum: ra-  
 tione voluntatis, finem optimum velle: ratione prudentia & consul-  
 tatio-

Duæ hypo-  
 theses.  
 1.

2.

C

tatio-





Solntiones  
arguendo  
15079.

rationis, congruentia media invenire, medium circumscribere, & an-  
rigæ more appetitiones sensuum contra equos dirigere. Posteriori  
verò ad appetitum sensuum. Et in hoc posteriori significato cum A-  
ristotele virtutem intelligimus non de dirigentis rectitudine, optima-  
que conformatione, sed de forma habitus, ac moderatione perturba-  
tionum. Ex his solutiones rationum pro priori sententia nullo negotio elicimus: Re-  
spondetur itaq; ad. 1. & 2. Voluntatis vocabulum *ναταχενσιν* usurpa-  
ri pro appetitu sensuum. Ad. 3. Etsi electio primò competit volunta-  
ti; tamen non soli ea competit, sed suo quoq; modo cadit in appe-  
titum sensuum, quatenus civili obsequio paret rationi, ejusq; decre-  
ta executioni mandat, idq; fat est, ut virtus nuncupetur habitus ele-  
ctivus. Quod conspicuum redditur per incontinentem, qui quidem  
rectè ratiocinatur, sed tamen quia appetitus sensuum non perficit  
ejus mandata, non dicitur operari cum præelectione. Ad. 4. per di-  
stinctionem: Sensus bifariam consideratur: vel absolutè & in se: vel  
habitu virtutis exornatus, & cum recta ratione conformatus: Priori  
modo ad eum quidem non pertinet honestum: Posteriori autem ma-  
ximè. Ad. 5. per limitationem Majoris: virum dignum esse laude,  
gloria, & honore propter consonantiam omnium virium ad hone-  
stam actionem conspirantium, adeoque non tantum ratione mentis  
tanquam facultatis directricis. Ad. 6. Virtutem quidè pertinere ad fa-  
cultatem Libertatis, illi verò inesse primò & ex se, vel saltem per  
participationem, cujus ratione appetitui quoq; sensuum inest, & ob  
eandem etiam causam virtus moralis. Summum autem bonum licet  
ortum ducat, à mente, ut à dirigente: perficitur tamen in appetitu  
sensuum, ut ab obtemperante rationi per habitum virtutis, adeoque  
in appetitu etiam sensuum est. Est enim appetitus sensuum in hac  
peculiariter ita comparatus, ut rationem audire possit, ac propte-  
rea rectè quoque hominis facultas dicitur. Ad. 7. magnam esse dissi-  
militudinem in exemplis. Nam pro constitutione virtutis duo requi-  
runtur: ex parte mentis, rectitudo rationis: ex parte appetitus sen-  
suum, habitus moderationis. In continentia licet prius reperiatur,  
atque sic minùs dicatur pertinere continentia ad appetitum sensu-  
um, quàm Temperantia: Attamen quia in continente est etiam di-  
spositio quædam, quæ est via ad virtutis habitum, sicut in inconti-  
nente reperitur dispositio ad vitium, ob has dispositiones continen-  
tia & incontinentia quoq; ad appetitum sensuum aliquo modo per-  
tinent.



tinēt. Hinc evenit, ut quamvis uterque præditus sit rectâ ratione, ad varietatem tamen dispositionis in appetitu sensuum unus dicatur continens, alter incontinens. Ad argumenta eorum, quæ pro iusticia in specie afferebantur, respondetur: i. esse sophisma æquivocationis in voce voluntatis, quod in dictis definitionibus non accipitur propriè, sed impropriè, pro quolibet appetitu hominis sequente cognitionem, adeoq; etiam sensitivo, nec tam de subiecto, quam certa ejusdem in homine iusto effectione, constantia scilicet in appetitu sensuum. Et sic de singulis virtutibus moralibus verum est. Nam fortitudo est constans & perpetua voluntas agendi fortia, & sic de cæteris. Ad. 2. per inficiationem Minoris: Etiam iusticia est perturbationis moderatio, ac ita in medio collocata. Possumus enim ab ortu esse proclives ad inferendam injuriam, ad furripienda aliena, ad tribuendum plus uni, quam alteri, quæ propensio & commotio corrigitur per habitum iusticiæ. Differt tamen ab alijs non quidem ex parte materiei h. e. perturbationis corrigendæ, sed ratione modi, quo servat medium, quia refertur ad aliud, similitudinemque rationum exposcit. Non enim valemus rationum similitudinem destruere, pro una parte, quin destruamus pro altera: simul namq; dum plus æquo tribuimus uni, minus æquo relinquimus alteri, & ob id oppositum ejus iusticiæ nomine denotatur.

4. *An omnis virtus Moralis consistat in Mediocritate?*

Affirmat Aristoteles l. 2. Eth. c. 6. Pro negativa parte hæ sunt rationes: 1. Iusticia in medio duorum extremorum non est posita, sed ei sola opponitur injusticia. 2. Magnificencia & magnanimitas in maximis sumptibus, summisq; honoribus positæ sunt: Ergo non in medio. 3. Virtus Heroica non videtur in mediocritate posita, cum supra humanam conditionem nos elevet. Respondetur ad primam per inficiationem: iusticiæ enim æquè ut cæteris virtutibus dari extremum in excessu, licet proprio careat nomine, & eodem injusticiæ nomine designetur. Injusticia enim eadem simul & ad nimium & ad parum deflectit, cum plus æquo alteri tribuit. Ad secundam: Magnanimitas & Magnificencia versantur in maximis ratione objecti: at non circumstantiarum. Dicuntur enim servare mediocritatem, quia versantur in maximis sumptibus & honoribus, non eos appetendo plus quam oportet, sed in his omnibus modum servando. Ad



AK 7c 264

tertiam: Mediocritas opponitur vel vitiosis extremis vel excellentia: Posteriori quidem modo virtuti heroicæ mediocritas non tribuitur: Priori tamen illi adimi non potest, modò quoq; sit virtus. Vbi tamen non dissimulandum, fervare eum mediocritatem modo heroico, & supra conditionem hominis posito.

§. *Utrum actiones, quæ antecedunt habitum virtutis sint ejusdem speciei aut generis, cum ijs, quæ habitum acquisitum jam consequuntur?*

Prior quæstionis pars à nonnullis ita defenditur: 1. quia ambæ morales dicuntur, 2. ambæ ex iisdem sunt causis, 3. ambæ inter eadem continentur extrema, & cum rectâ ratione consentiunt, 4. quia secundum magis & minus saltem differunt. Sed veritati consentanea magis posterior est Convenire scilicet eas genere & forma remota: proximâ verò & specie differre. Nam 1. differunt principijs & causis: Actiones, quæ præcedunt habitum, fiunt à voluntate, mente gubernatâ: quæ verè sequuntur, ex habitu prodeunt: 2. Formâ, quæ est modus, quo fiunt. Actio præcurrens justiciæ habitum justa dicitur: sed non justè facta, quia non includit conditiones, quæ requiruntur, ut justè quoq; facta. 3. proprio accidente: Quæ antecedunt, actiones inconstantes sunt, & cum lucta quadam appetitus sensuum conjunctæ: quæ vero sequuntur, constantes & sine ulla lucta sunt. Respondetur ad primam rationem prioris sententia: Cùm actio moralis præcipuè à morali, habitu more & assuetudine comparato, denominetur, actiones intercedentes solum æquivocè morales dicuntur. Ad secundam: Licet ea de causis remotis maximè concedatur, falsa tamen est de causa proxima & conjuncta. Tertia ratio Idenditatem genericam tantum infert; Ratio namque non proximè, sed remotè tantum actionem format & distinguit. 4. ratio falsa est, & vanitas ejus per se patet. Excipit Scal. contra primam nostram rationem 1. Habitus est forma illarum actionum E. non causa effic. 2. si ab actionibus fit habitus, & ab hoc ipso vicissim fiunt actiones, circularis erit demonstratio: quod fieri nō potest. Resp. ad 1. Antecedens falsum esse vel luscus videt. Ad 2. Sequeretur quidē, si arte & per habitum actiones prorsus essent uniusmodi: At hoc non est, teste ipso Scaligero. Nam actiones, quæ parto habitu fiunt, sunt rectæ, constantes, nulla cum molestia aut lucta conjunctæ, & non solum bonæ sunt, verum etiam benè fiunt: quæ omnia progredientibus actionibus non conveniunt.

Ex. 307.  
f. 20.

F I N I S.

W 17





BIBLIOTHEC  
PUNICKAVIAN

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE  
(8AALE)

Dn: 7  
Dn: 6  
Dn: 5  
Dn: 4  
Dn: 3  
Dn: 2  
Dn: 1



**Kodak**  
LICENSED PRODUCT

**KODAK Color Control Patches** © The Tiffen Company, 2000



S  
E N U I S E T  
S  
Dier In Streitels  
æ curiæ Ducatus Glo-  
In Ober und Nie-  
hertendorff &c. Equi-  
Saganensis Adleffori  
ULTISSIMO  
endorff / I.V. Doz  
mo :  
TISSIMO  
L D Diacono a-  
ac Promotoribus suis magnis  
o observantiæ cultu profe-  
quendis  
mentis μνημα  
observantiæ ἀποτίμημα  
rum suorum παιδευμα  
eidlinger, L.L. Stud.

